

rumoribus terreri et ad facinus impelli, et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quae visa sunt, occultant; quaeque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De republica nisi per concilium loqui non conceditur.

XXI. Germani multum ab hac consuetudine differunt: nam neque Druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum aperte opibus juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis labori ac duritiae student. Qui diutissime impuberes permanerunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant.

XXII. Agriculturae non student; majorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit: neque quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum, et quo loco visum est, agri attribuunt, atque anno post alio transire cogunt. Ejus rei multas adserunt causas: ne, adsidua consuetudine capti, studium belli gerundi agricultura commutent; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne adcuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificant; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi acuitate plebem contineant, quum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

XXIII. Civitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope aulere consistere: simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato.